

Introductio.

1. **Origo philosophiae.** Hominibus, quum ratione praediti sint, a natura insitum est, ut unde res sint, quomodo sint, cur sint, inquirant. Ex quo sciendi desiderio iam Aristoteles¹⁾ philosophiam ortam esse duxit. Quare non mirum est, homines iam antiquis temporibus huic scientiae operam dedisse. Ac primum quidem investigare cooperunt, qualis esset natura divina (theogoniae et cosmogoniae) et quomodo vita honesta esset instituenda. Initio igitur philosophia, a religione profecta, theologiam naturalem et ethicam in primis comprehendebat, ut historia Sinensium, Indorum, Persarum, Aegyptiorum testatur.²⁾ Deinde vero homines studia converterunt

¹⁾ Metaph. I. 1. etc. vide: Aristoteles' Metaphysik, übersetzt von Rolfs, 1904 (Philos. Bibliothek II) p. 19 et 23; porro Plato, Theaetet. 11, 155.

²⁾ Willmann, Geschichte des Idealismus I. § 10—15. E. Fischer, Die Grundfragen der Erkenntnistheorie, 1887, pag. 3 sq. Al. Schmid, Erkenntnislehre, 1890, I, 19 sq.

Confer de *historia philosophiae*:

1. *Ueberweg - Heinze*, Grundriss der Geschichte der Philosophie, 1902⁴, 4 vol.; opus auctorum copiosa bibliographia et accurata systematum expositione excellens.
2. *Stöckl*, Geschichte der Philosophie des Mittelalters, 1864—1866, 3 vol.; Lehrbuch d. Geschichte d. Philosophie, 1883³, 2 vol.; Geschichte d. christl. Philosophie zur Zeit der Kirchenväter, 1891; Geschichte der neuern Philosophie, 1883, 2 vol.; Grundriss d. Geschichte der Philosophie, 1894.
3. *Haffner*, Grundlinien der Geschichte der Philosophie, 1881, 2 vol.
4. *Willmann*, Geschichte des Idealismus, 1897, 3 vol. (opus egregium; nova editio praeparatur). Auctores sub n. 2—4 sunt scholastici.
5. *J. Erdmann*, Gründriss der Geschichte der Philosophie, 1896⁴, 2 vol.
6. *Kuno Fischer*, Geschichte d. neuern Philosophie, 1897—1904³⁻⁵, 10 vol.
7. *E. Zeller*, Philosophie der Griechen, 1892⁵, 6 vol.; Geschichte der neuern Philosophie seit Leibnitz, 1875²; Grundriss d. Geschichte der griech. Philosophie, 1901⁶.
8. *Falkenberg*, Geschichte der neuern Philosophie, 1905⁴.
9. *Windelband*, Geschichte der alten Philosophie, 1900²; Geschichte der neuern Philosophie, 2 vol., 1904³; Lehrb. d. Geschichte d. Philosophie, 1903³.
10. *Eucken*, Die Lebensanschauungen der grossen Denker, 1904⁵.
11. *Baumann*, Gesamtgeschichte der Philosophie, 1903; Deutsche und ausserdeutsche Philosophie der letzten Jahrzehnte, 1903; aliique multi auctores, qui tamen caute sunt consulendi, siquidem, diversis opinionibus philosophicis imbuti, praesertim de doctrina scholastica nonnunquam minus aequ recteque iudicant.

in originem, constitutionem, naturam rerum visibilium perscrutandam; sic duce Thalete Miletio philosophi Ionii qui nominantur naturales saec. VI a. Chr., quos secuti sunt Eleatici, Pythagoraei, Atomistae. Neque contenti inquisitione de causis rerum et *existendi* et *essendi* instituta, ulterius progressi etiam rationem rerum *cognoscendi* examini subiecerunt indagantes veritatem cognitionis nostrae, quod praesertim Sophistis et Scepticis placebat, quos Socrates eiusque discipuli redarguebant, excolentes sanam cognitionis rationem, i. e. criticam et logicam.

Hoc modo decursu temporis singulae partes philosophiae ortae sunt, donec magni illi philosophiae graecae principes, Plato et praesertim eius discipulus Aristoteles, omnes illius scientiae partes comprehendentes integrum philosophiae sistema constituebant. Neque omittendum est, illis temporibus philosophiam ceteras omnes adhuc in se continuisse scientias, praesertim vero disciplinas naturales et mathematicam¹⁾, ita ut iure meritoque Cicero²⁾ eam „rerum divinarum et humanarum, causarumque, quibus hae res continentur, scientiam“ vocaverit.

2. Definitio philosophiae. Cum „omnis quae a ratione suscipitur de aliqua re institutio, debeat a definitione proficiisci, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputatur“³⁾, nunc dicendum est, quid sit philosophia. Iam vero diversae apud auctores inveniuntur eius definitiones secundum systema, quod sibi quisque de veritate construxit. Unde a) *nominalis* eius definitio nil dicit nisi amorem sapientiae, quod nomen a Pythagora ei tributum esse tradunt⁴⁾ et conceptum philosophiae potius subiective exprimit. Sapientia vero non significat solum aliquam scientiam, sed scientiam rerum supremam et nobis maxime necessariam ad vitam recte instituendam. b) *Realis* philosophiae definitio, quae iam ex tempore Aristotelis⁵⁾ plerisque probabatur, haec est: *Scientia rerum per causas ultimas naturali lumine rationis comparata*, quae quidem definitio vel iisdem verbis vel saltem re eadem ab auctoribus plerisque tum veteribus tum recentioribus exhibetur.⁶⁾

Philosophia igitur vocatur 1^o *scientia*, quia cognitionem a) certam rerum tradit, non solum per modum opinionis vel dubii. Neque enim confundenda est philosophia, — idem dicendum est de quacunque scientia — subiective et obiective spectata; subiective spectata est studium philosophiae, quod quidem in singulis hominibus

¹⁾ Pesch, Inst. logio, I. pag. 15. ²⁾ De offic. II, 2. Tuscul. V. 2. ³⁾ Cicero De offic. I, 2. ⁴⁾ Cicero, Tuscul. V, 3. ⁵⁾ Metaph. I, 2, 982 b: τῶν πρώτων ἀρχῶν αἰτίων θεωρητική. ⁶⁾ Cfr. Eisler, Philosophisches Wörterbuch, 1899, Art. Philosophie, ubi plurimorum auctorum invenies definitiones philosophiae.

differit neque excludit dubia vel opiniones vel etiam errores; sed obiective spectata philosophia a modo imperfecto, quo verum attingitur, abstrahit et est sistema illarum veritatum, quibus omnis nostra cognitio et fundatur et absolvitur.¹⁾ b) Cognitionem plenam tradit, i. e. non solum partem unam vel alteram, sed verae scientiae est, omnes docere veritates, quae ad eius obiectum formale pertinent. c) Cognitionem perfectam, i. e. quae naturam rei cognitae perspectam habet; scientia enim est cognitione rerum ex causis suis. Ideo non sufficit solum cognitione singulorum factorum per experientiam sensuum vel per testi monium humanum comparata, quorum rationes et relationes non percipientur.

2^o Vocatur porro philosophia scientia rerum, non solum cognitionis nostrae subiectivae; et quidem omnium rerum et existentium et possibilium, et visibilium et invisibilium, Dei et mundi et ipsius subiecti cogitantis, in quantum sub conceptibus supremis comprehenduntur. Hoc modo philosophia ab aliis scientiis distinguitur, quarum obiectum materiale semper sunt certae quaedam res, ut patet e. g. in scientia mathematica, historica, naturali etc.

3^o Est tandem scientia rerum per ultimas causas; et sic philosophia maxime differt ab aliis scientiis, quae res considerant sub causis quidem suis, sed proximis; unde haec differentia constituit obiectum formale philosophiae. Causae vero ultimae rerum distinguuntur externae et internae; externae ultimae sunt causa efficiens, finalis et exemplaris, quae est Deus; internae ultimae vero sunt essentiae rerum, (quae, si sunt materiales, in causas formales et materiales dividuntur. Simili modo illae causae possunt considerari ultimae in ordine *existendi*, *essendi*, *cognoscendi*, quas philosophiae est investigare, neque quidquam supponendum est, quod eget demonstratione.)

4^o Additur autem in definitione philosophiae, esse scientiam . . . naturali lumine rationis comparata, ut a fide supernaturali et theologiae scientia distinguatur. Haec enim veritates docet supernaturales, et si quae veritates fidei etiam ratione cognosci possunt, e. g. Dei existentia, sub alia tamen ratione formalis, i. e. sub auctoritate Dei revelantis in Fide et Theologia attinguntur.

Supposita hac philosophiae definitione, patet illas definitiones improbandas esse, quae fines huius scientiae nimis extendunt ita, ut absorbeat omnes alias disciplinas, ut Hegelio et nonnullis modernis philosophis (e. g. Paulsen²⁾ placet, vel quae terminos philosophiae nimis contrahentes eam ad ethicam, ut nonnulli veteres et recentiores (Windelband, Döring³⁾ vel theologiam (Ontologistae) vel ontolo-

¹⁾ Cfr. Paulsen, Einleitung in die Philosophie, 1901⁷, p. 35 sq. ²⁾ L. c. p. 17. ³⁾ Cfr. Wundt, Einleitung in die Philosophie, 1901, p. 30 sq.

giam (Pantheistae), vel psychologiam (Cartesius et multi moderni e. g. Lipps), vel logicam et criticam (Kant, Fichte, Hegel, K. Fischer, Riehl), vel meram sensum experientiam (Sensistae) reducunt,¹⁾ vel quae philosophiam ab aliis scientiis nimis dependentem reddunt, ut Wundt.²⁾

3. Methodus et fontes philosophiae: Duplex methodus philosophandi esse posset: *analytica*, quae ex effectibus ad causam, ex singulis ad totum logicum, ex proprietatibus ad rerum naturam progredivit; *synthetica*, quae ordinem inversum instituit. Fuerunt, qui solam methodum analyticam adhibendam esse censerent, ita ut sola facta experientiae sive externae (Sensismus, Positivismus) sive internae (Empirismus, Psychologismus, Empiriocriticismus³⁾ etc.) admitterent; alii vero sola utebantur methodo synthetica ex uno principio universalis omnia deducentes, ut Pantheistae, Ontologistae, Idealistae etc. Utraque igitur methodus adhibenda est, ut a factis experientiae tanquam fundamento certo ad causas invisibilis ascendamus et ex causis iterum facta explicare possimus. Patet autem pro diversitate singularium philosophiae partium nunc analyticam (Cosmologia, Psychologia), nunc syntheticam (Ontologia) methodum esse praferendam.

Ex dictis elucet, qui sint fontes praecipui philosophiae; methodus enim analytica supponit experientiam sive internam sive externam; synthetica vero obiectivum valorem idearum et veritates quasdam universales. Neque enim omnia probanda sunt, ne totum philosophiae aedificium careat fundamento et quasi in aere haereat. Unde vitandus est ex una parte Scepticismus universalis omnia in dubium revocans vel probare conans, et Dogmatismus, supponens quae ex se non sunt evidencia, sed probanda. Non autem supponimus, ut infra dicemus in Critica, nisi tres veritates: *factum primum* i. e. existentiam nostram; *conditionem primam* i. e. mentis capacitatem veritatem certo cognoscendi; *veritatem primam* i. e. principium contradictionis; quae veritates sunt omnium maxime evidentes et fundamentum totius cognitionis nostrae. — Praeter fontes praecipios supra nominatos fontes secundarii philosophiae sunt omnes aliae scientiae, (quas quodammodo in se concludit tanquam earum corona quarumque statuit fundamenta certa et methodum explicat. Ita scientiae naturales in primis cosmologiae, physiologicae et historicae psychologiae et ethicae, mathematica ontologiae, criticae et dialecticae omnesque tandem scientiae theologiae naturali magnam afferunt utilitatem.)

¹⁾ Cfr. Pesch, l. c. I. p. 8 sq.; E. Fischer, l. c. p. 28 sq. ²⁾ L. c. p. 19; Logik, Methodenlehre, 1895, II, 2, p. 641 ff. ³⁾ Cfr. Gutberlet, Kampf um die Seele, p. 1—49.

4. Praestantia philosophiae appetat a) ex eius *objeto* et primo quidem *materiali*, quod comprehendit omnes omnino res ac proinde latius patere non potest; deinde *objeta* continet nobilissima scilicet Deum, omnium rerum auctorem et finem, hominisque naturam et media ad vitam beatam acquirendam tractat. Porro elucet ex eius *objeto formalis*, quod sunt rationes illae immateriales, universales, aeternae, quibus res omnes comprehenduntur. (Unde sequitur, philosophiam a nulla alia scientia per se dependere neque ratione *objecti* neque ratione *principiorum*; omnes vero alias scientias quodam modo mutuari principia sua a philosophia. Et sane, scientiae naturales, historicae, iuridicae, sociales, et ipsa mathematica supponunt prima sua principia legesque, necnon veritatem conceptuum nostrorum fundamentalium, qui pertinent praesertim ad metaphysicam, qua reiecta omnes scientiae pereunt. Non igitur est, cur physici experimentis suis freti disciplinas philosophicas nonnunquam despiciant. — Accedit, quod logica, quae est pars philosophiae, sit instrumentum omnibus scientiis prorsus necessarium tum ad conclusiones recte deducendas, tum ad systema scientificum constituendum)

b) *Ex fine.* Finis enim philosophiae est, tum mentem tum voluntatem humanam perficere. (Perfectio mentis est in veritate cognoscenda. Atqui scientia haec veritatibus tum plurimis tum altissimis scituque dignissimis atque maxime necessariis animam imbuit; quare studio philosophiae omni tempore optimus quisque veritatis amator delectabatur. Neque minus voluntatem perficit, quippe quae viam a mente indicatam sequatur; ideoque tanti momenti esse facile intelligitur, veram excoli philosophiam. Teste enim historia, si homines veritatem sequebantur, maxima inde bona in vitam et societatem humanam redundabant; si vero falsis philosophorum opinionibus adhaerebant, magna inde mala et in vita et in societate humana oriebantur, ut docet eversio illa Gallica saeculo elapso ex falsis philosophorum placitis potissimum exorta. Quare non mirum, veteres philosophos, praesertim Stoicos, et virtutem et vitam beatam in studio philosophiae reposuisse, neque immerito Cicero eius amore abreptus eam appellat vitae ducem, virtutum indagatricem expultricemque vitiorum, legum inventricem, morum et disciplinae magistrum.¹⁾)

5. De relatione inter philosophiam et theologiam sacram haec statuenda sunt: 1^o si theologiae *systema scientificum* et *methodus* consideratur, philosophia ab ea non est dependens, quia habet *objecum proprium* tum *materiale* tum *formale* et *finem proprium*;²⁾ immo theologia debet sequi *praecepta logicae* et *regulas syllogismi* 2^o Si vero *objecum theologiae* spectatur, distinguendum est inter rationes

¹⁾ Tusc. V, 2. ²⁾ Cfr. S. Thomam c. gent. II, 4.

vel conclusiones mere theologicas et inter ipsas veritates certo revolutas. Ab illis philosophia per se non dependet, dummodo philosophus in rebus non evidentiis auctoritati ecclesiae debitam observantiam praestet;¹⁾ quoad veritates *fidei* autem inferior est atque dependens: a) *ratione obiecti materialis*, quia fides veritates supernaturales, rationi impervias, revelat; b) *ratione finis*, quia finis naturalis philosophiae subordinatur supernaturali fidei, ac proinde philosophiae est inservire fidei, stabiliendo paeambula fidei, et motiva credibilitatis, eamque illustrando et defendendo secundum illud s. Augustini: „Per eam fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur.“²⁾ Hoc igitur sensu philosophia ab antiquis ancilla theologiae, vel potius fidei vocatur;³⁾ c) *ratione certitudinis sive obiecti formalis*, quod est auctoritas Dei revealantis; quare certitudo fidei est infallibilis, ratio vero fallibilis. (Unde ratio ipsa docet nullam posse esse repugnantiam inter fidem et veram philosophiam, ut olim Gnostici, Manichaei, necon philosophi arabes aristotelici, praesertim Avicenna et Averrhoes docebant,⁴⁾ quare S. Sedes Apostolica iure sententias oppositas Froschammer, Günther aliorumque reprobavit.⁵⁾ Distinguendum enim est inter philosophum et philosophiam: philosophia per se, i. e. obiective spectata semper vera est, sed singuli philosophi veritatem inquirentes facile aberrare possunt. Si igitur mysteria certo revealata proponuntur, philosopho credenda sunt, etiamsi ea non comprehendat, et si quid philosophi docent, quod fidei repugnat, certe ut falsum reiciendum est.⁶⁾ Neque inde legitima libertas, sed sola licentia effrenata philosophorum quorundam coarctatur, sicuti nec discipulo iniuria infertur, si a magistro corrigitur, neque viatori, si recta via ei monstratur, neque nautae, si scopuli et freta vitanda per pharum ipsi ostenduntur, ita ut fides etiam philosopho sit maxima utilitati eiusque „stella rectrix“ iure vocetur.)

3º Fides ergo potest vocari aliquo modo norma philosophiae, sed solum *extrinseca*, quia eam non intrinsece, i. e. neque obiectum neque principia neque methodum philosophiae immutat: vocatur vero norma *per se negativa*, quia solum prohibet, ne quid doceat philosophus, quod revelationi divinae repugnet; obligat vero philosophum *positive per accidens*, ut denuo examen instituat ac sententiam mutet,

¹⁾ Cfr. Cathrein, Glauben und Wissen, 1903; Heiner, Der Syllabus, 1905; Kneib, Wissen und Glauben, 1905²⁾. ²⁾ Cfr. Encycl. Leonis XIII, 1879: „Aeterni Patris“. ³⁾ Willmann, Geschichte des Idealismus, II, § 52. ⁴⁾ Cfr. Stöckl, Geschichte der Philosophie, I, 219; 328 sq. ⁵⁾ Syllabus Pii IX prop. 10 et 14. ⁶⁾ Quod ipse Bayle et Rousseau fatentur (vide Pesch II, 1. p. 626 et 627), recentes autem philosophi plerique, fide christiana obiecta, negant (cfr. Wundt, System der Philosophie, 1897², p. 6. sq.; Paulsen, Einleitung in die Philosophie, 1901⁷, p. 3 sq.).

si forte a fide aberraverit.¹⁾ Neque aliud quidquam s. Anselmus († 1109), qui quasi pater philosophiae scholasticae habetur, sentit, si tanquam axioma philosophiae christiana statuit: „Non quaero intelligere ut credam, sed credo ut intelligam“ (Proslog. c. 1). Quod idem erat axioma s. Augustini dicentis: „Credimus, ut cognoscamus, non cognoscimus, ut credamus“ (de Trinit. I, 1), et Tertulliani magis acute quam recte dicentis: „Credibile, quia ineptum“ (Migne II, 806). Loquuntur enim directe de mysteriis fidei, in quantum ratione humana investigantur.²⁾ Porro historia docet, illos viros, qui et honestate vitae et scientiarum cultu de genere humano optime meriti sunt, etiam fidem christianam plerumque fideliter amplexatos esse.³⁾

6. **Philosophiae divisio:** Iam Plato philosophiam in realem, rationalem et moralem divisisse fertur.⁴⁾ Res enim omnes possunt considerari a) ut sunt in se, b) ut sunt relatae ad potentias nostras, i. e. ad intellectum et voluntatem. Philosophia, quae res considerat ut sunt *in se*, vocatur realis vel *Metaphysica*, quae antiquitus apud Aristotelem et scholasticos Physicam et Mathematicam et Metaphysicam proprie dictam complectebatur, nunc vero scientiis illis miro modo exultis et extensis solam ultimam; quae iterum secundum obiectum materiale, dividitur in *Ontologiam*, quae rationes rerum universalissimas tractat, *Cosmologiam*, quae res visibles, *Psychologiam*, quae animam, et *Theologiam*, quae Deum contemplatur. (Olim *Physica Cosmologiam* et *Psychologiam* simul continebat tamquam res non positive neque mere praecisive immateriales.)

Philosophia vero, quae considerat res ut referuntur ad *voluntatem*, appellatur moralis vel *Ethica* et tradit normas honeste agendi; quae vero respicit *intellectum*, vocatur rationalis vel *Logica* et veritatem cognitionis nostrae investigat; haec autem primum nobis est tractanda.

¹⁾ Cfr. E. Fischer, I. c. p. 21 sq. v. Hertling, Das Prinzip d. Katholizismus u. d. Wissenschaft, 1899, Freiburg, Herder; Wissenschaftliche Voraussetzungslosigkeit und Katholizismus, 1903. — Contra Ziegler, Glauben und Wissen, Rektoratsrede, Strassburg 1899; Paulsen, Philosophia militans, 1901: Katholizismus u. Wissenschaft. ²⁾ Cfr. Willmann, Gesch. d. Idealismus, II, 268; Stöckl, Gesch. d. Philos., I, 386. ³⁾ Cfr. libellum paeclarum: Kneller, Das Christentum und die Vertreter der neuern Naturwissenschaft, 1903; porro Dennert, Bibel und Naturwissenschaft, 1904²; Die Religion der Naturforscher, 1902⁶.

⁴⁾ Cicero, Acad. I, 5; Augustinus, de civitate Dei XI, 25. S. Thomas opusc. 70 in libr. Boethii, de Trinitate, qu. 5 et 6; (edit. Lugduni 1572; in editione vero Parmae facta 1866 opusc. 63). Alias divisiones plus minus subiectivas vide Wundt, Einleitung, p. 40 sq.